



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

25. Dies Decemb. Christus solus sic potuit nasci, ut ei opus non esset renasci, August. Enchrid. c. 48.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

25. DIES DECEMB.

Christus solus sic potuit nasci, ut ei opus non esset re-
nasci, *August. Enchirid. c. 48.*

Christi I.
Nativitas,
est omni-
um felici-
tas,

NAscere tandem aliquando post
tot sæculorum luctum, atque
squallorem, ô parve Deus! ô
magne puer! tam impatienter
expectate, quàm vehementer expetite. Nascere; nunc
enim ingemiscit omnis creatura. Princeps tenebrarû,
per universum mundum cæcâ eorum caligine circû-
septum, impunè debaccharur: Omnis jam mundo
proscripta est Pietas, exterminata Religio, prostrata
Virtus; nullus Tui est cultus; nullus Patris est metus,
nulla lex, nullû jus, nullus ordo; confusa omnia, sacra,
profana, humana, Divina. Nascere ergò; Tu ipse te-
stus es, ore Sapientis, cum dixisses: (a) *Omnia tem-
pus habent. Tempus, inquit, (b) nascendi.* Nascere, ex-
pectat Te cælum, ut tuâ illustretur gloriâ; terra, ut
tuâ fruatur clementiâ; Angeli, ut restauretur illorum
ruina; homines, ut per Te consequantur salutem: ex-
pectant Te omnes miseri, ut tuam experiantur Mife-
ricordiam. (c) *Tempus nascendi.* Nascere: *jam enim
nox præcessit; dies autem appropinquavit.* Expectat Te
Mater tua: ut te osculetur osculo oris sui, ac pannis
involvat: expectat Te Josephus, ut te Deum in carne
adore: expectat Te bos, ut cognoscat Te possesso-
rem suum: asinus, ut cognoscat præsepe Domini sui:
expectat Te militia cælestis, ut evangelizent gaudium
magnum; Pastores, ut Te salutent: Magi, ut munera
offerant, Simeon, ut Te excipiat in ulnas suas: expe-
ctant Te cæci, ut videant, claudi, ut ambulent; le-
prosi,

(a) *Eccles. 3.* (b) *Rom. 8.*

prosi, ut mudentur, mortui, ut resurgant. Denique, cælum, terra, Angeli, homines, totaque rerum universitas, Ortum tuum fortunatissimum, tanquam rem omnium expectatissimam expectat, ut tui unius Nativitas, sit communis omnium felicitas.

II. Cùm ergò jam quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: & cùm jam venisset plenitudo temporis, & Matri ejus, impletum esset tempus pariendi: cùm jam tandem elucescèret illud momentum tanti momenti, quo debebat apparere Benignitas, & Humanitas Dei Incarnati, Unigenitus Æterni Patris Filius: qui ante novem menses, propter nos homines, & nostram salutem descenderat de cælo, & conceptus fuerat de Spiritu Sancto, natus est ex Maria Virgine: sic tamen, ut, quæ ante partum Virgo, quoque permaneret in partu, & post partum Famâ vulgatâ de Salomone nostro; non fuit media pars eorum, quæ experiuntur, qui ejus faciem intuentur, præsertim Regina, Mater ejus, quæ sine dubio, immensa & acrensa amore, & oppressa stupore, præ utroque non habebat ultra spiritum, utpotè, tota repleta Spiritu Sancto. Quoties tunc ingeminabat illud suum cæleste epos: (a) *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo?* Si Præcursor Domini, exultans in gaudio in utero Matris suæ, quem necdum videbat: sed adesse tantùm credebatur: quomodo exultabat spiritus ejus in Deo, jam Filio suo, quem & coram videbat, & in sinu gerebat: præsertim, cùm se & Matrem sentiret, & Virginem sciret: itaque entiam esse, factamque puerperam, ut sine disruptione uteri,

(a) *Luc. 2.*

Decemb.

Tessera.

1037

uteri, sine claustris Virginalis violatione, Virginitatis gloria permanente, Lumen æternum mundo effunderet, Jesum Christum Dominum nostrum.

III. Deindè, cùm immunem sentiret à dolore partum: vacuum omni sorde puerperium: neque enim illa antecesserant, quæ deberent, & solerent carnis dolores, gemitibus animi, corporis sordibus expiari. Nonne parvulus ille Deus è præsepio videns civitatem sibi tam vicinam Jerusalem fleuit super eam, quia ex omnibus civibus ejus, qui illum cognosceret, non erat usque ad unum. Ingredere homo audacter stabulum: tu antea, ut bos comedisti fœnum terræ, adest hîc pabulum tibi conveniens fœnum: tu factus es, ut equus, & mulus, sunt hîc, quibus, ut tui similibus gaudeas, bos, & asinus. Qui ergò, similis factus es jumentis insipientibus: accede, ut jumentum ad præsepe. O magne Amor, parvum Numen! En ego me submitto ditioni tuæ! en ego me dedo imperio tuo! en ego me consecro arbitrio tuo! en ego inclino cololum servituti tuæ! Ah! quid hîc stant jumenta duo? An forsan à Te jugum expectant? En ego! ó Divine Puer, cervicem meam vinculis tuis præbeolne præferas me bestiis? Qui me creasti, ut dominarer bestiis terræ: ah me innoda, & illiga jugo tuo! An forsan adstant, ut vehant currum triumphi tui? Ah ego! ego quoque huic muneri succedam. En corpus, & anima mea, facta sunt, ut duo jumenta ante Te. Conscende currum præsepis tui, inside fœno tuo: ego jungam jumenta mea, & Te toto orbe circumveham, atque elatâ voce clamabo: Sic triumphat Amor:

Voluitur in pannis, nullis qui clauditur annis.

26. DIES